



**Universitätsbibliothek Mannheim**

**Tertium Reuchlini jubilaeum**

**Hardt, Hermann von der**

**Helmstadii, 1716**

**urn:nbn:de:bsz:180-digad-1374**

72  
9



BIBLIOTHEK  
DESBILLONS  
MANNHEIM

C. B.

72  
59

H 454 D 29

[4] gef. Bl. : 7c.

Hauptw.: Kopie  
vh.!!

$\frac{7}{9}$



TERTIUM  
REUCHLINI  
JUBILÆUM

In memoriam secularem  
diei 2. Julii, Anni MDXVI.

Quando Romæ in publica sessione,  
auditoribus innumeris, viri maximi pro  
Reuchlini virtute ingenue pronun-  
ciarunt.

Celebratum in Academia Julia  
Symbolis,

*Anno MDCCXVI. mense Julio*  
ab

HERMANNO von der Hardt/  
Ling. Orient. Prof. & Præpos. Mariæb.



HELMSTADT

Typis HERMANNI DANIELIS HAMMII, Acad. Typogr.

Grossherzogliche  
Gymnasiums - Bibliothek  
MANNHEIM

Foro literato  
humanitatis conscio  
veritatem colenti.  
virtutem æstimanti  
integritatem tuenti  
fraudum pertæso  
dolos averruncanti  
sinceritatis præsidio.

---

A. MDCCXVI. d. 20. Julii.





Tertium Reuchlini Jubilæum, in  
memoriam anni MD XVI. diei 2 Julii, quo  
Reuchlini virtus Romæ in judicio agnita  
& solennissime celebrata.

**R** EUCHLINUS, Jurisconsultus, huma-  
nitatis ante geminum seculum apud  
Germanos restaurator primus, Cæsa-  
ris & Principum Consiliarius, æternis in  
Ecclesiam & rempublicam meritis inclytus,  
celebratus est à nobis superioribus annis,  
in hac Academia Julia, justo *Jubilæi* cha-  
racterè, plusculis libellis. In his, *Jubilæum*  
*Reuchlini Symbolicum*, in memoriam anni  
*MD XII.* *Festum seculare Reuchlini*, in  
memoriam annorum *MD XIII. XIV. &*  
*XV.* *Historiam præterea Reuchlini &*  
*Hochstrati Moguntinam*, anni *MD XIII.*  
à mense *Septembri usque ad d. 13. Octob.* pe-  
culiari opusculo recensuimus.

A 2

Succe-



Succedet par recensio memorabilis fati, per triennium, à die 13. Octob. 1513. usque ad Augustum anni 1516. apud Episcopum Spirenses & in Romana curia, in fori strepitu continuati. Nunc libet *unius ejusque ultimi sereni diei, 2. Julii, anni 1516.* hoc seculari anno 1716. eodem *meso Julio*, suaviter prælibare dulcem memoriam.

Spirensis judicium, à Romano Pontifice Leone X. *A. 1513. d. 21. Nov.* constitutum, agnitam Reuchlini virtutem *A. 1514. d. 24. Martii* contra Hochstratum justo decreto asseruerat. Nihilominus *spretâ Spirensi sententia*, Hochstratus de novo *Romam* rem dolo pertraxerat. Interea Reuchlinus, bonarum literarum apud Germanos conditor, jam senex, Pontifici Romano & Cardinalibus à multis Principibus ac viris illustribus serio commendatus.

Solum nunc ex tot magnis capitibus audire *Erasmm* juvabit, cujus *A. 1515. 3. Cal. Maj.* ad Leonem X. hæc verba: *Eximius ille vir, Johannes Reuchlinus Phorcensis, trium linguarum, Græcæ, Latine & Hebraicæ pene ex æquo peritus, adhæc in nullo doctrinæ genere non versatus, ita ut cum primis certare possit. Unde merito virum hunc ceu Phœni-*

Phœnicem & unicum suum decus tota suspicit ac veneratur Germania. Ad Cardinalem Grimanum, prid. Cal. Apr. 1515. Scis, jam vetustissimum illud esse, ut invidia, qua vis excetra nocentior, egregiis conatibus semper obsibilet. Id quod nuper in summo illo viro Johanne Reuchlino non sine summo animi dolore conspeximus. Jam par erat, jam tempus erat, ut homo venerandæ senectutis suis pulcherrimis studiis fruere, & ex honestissima juvenilium semente laborum suavissimam caperet messem. Conveniebat, ut vir, tot linguis, tot disciplinis instructus, hoc velut ætatis autumno divitem ingenii proventum in universum orbem effunderet. Ad hoc erat laudibus exstimulandus, præmiis invitandus, studio inflammandus. Et exortos audio, nescio quos, qui cum ipsi nihil præclarum efficere possint, perversissima via gloriam affectent. Deum immortalem, quam frivolis ex nugis quantas tragœdias concitarunt. Ex libellulo, imo epistola, eaque Germanice scripta, quam nec ediderit ipse, nec edendam putarit, tantum excitari tumultus! Quis unquam vel scriptum novisset eum libellum, nisi isti mundo publicassent. Quanto placabilius erat, si quod ibi fuisset erratum, ut errant homines omnes, id

vel premere, vel candide interpretari, aut  
 certe tam eximiis hominis virtutibus con-  
 donare? Non hoc dixerim, quod illic ullum  
 videam erratum, qua de re sane aliorum est  
 pronunciare: illud dicam, si quis ad illum mo-  
 dum malignius, & ut græci dicunt, δριόως,  
 excutiat di-vi Hieronymi libros, permulta re-  
 periet à nostrorum theologorum decretis longe  
 lateque discrepantia. Quorsum igitur attine-  
 bat, virum & literis & atate venerabilem  
 ob rem nihili in hujusmodi pertrahi turbas, in  
 quibus jam septimum, opinor, perdit annum.  
 Utinam hoc operæ, utinam hoc temporis, licuis-  
 set adjuvandis honestissimis literarum studiis  
 impendere. Nunc omnibus dignus præmiis  
 molestissimis litibus involvitur, non mediocri  
 doctorum omnium, imo totius Germania &  
 dolore & stomacho. Quamquam his omnibus  
 spes est futurum ut vestra opera vir tam exi-  
 mius & orbi restituatur & literis. Ad  
 Cardinalem Raphaëlem, prid. Cal. Apr. 1515.  
 Majorem in modum te & obse- ro & obtestor,  
 per bonas literas, quibus tua Celsitudo semper  
 unice favere solet, ut eximius vir dominus  
 Johannes Reuchlinus, in suo negotio æquos  
 vos sentiat & benevolos. Eadem opera bene  
 merebimini de literis ac literatis omnibus, quo-  
 rum

rum ut quisque doctissimus est, ita illi impensissime studet. Huic omnis debet Germania, in qua primus græcarum & hebraicarum literarum studium excitavit. Vir est enim complurium linguarum egregie peritus, variis expolitus disciplinis, jam libris editis clarus, & orbi christiano notus, Cæsari Maximiliano cum primis gratus, ut cui sit a consiliis, gravis & honoratus apud suos, inter quos Triumvirum munere fungitur, famæ semper hactenus incontaminatæ, adhæc senectute jam & canitie re-verendus. Proinde & ille promerebatur, ut hac ætate honestissimorum studiorum dulcissimam meteret messem. Et nos expectabamus, ut quod annis compluribus condidit, nunc in communem omnium depromeret utilitatem. Bonis igitur omnibus indignissimum videtur, non solum apud Germanos, verum & apud Anglos & Gallos, quibus ex literis notus est, tam eximium virum, tot ornamentis pulcherrimis cumulatum, tam odiosis di-vexari litibus, idque ex ea re, quæ meo sane iudicio vel ipsam asini umbram superet, in quam jocus extat proverbialis. Principum arma vestra sapientia cobibita sunt, eadem jam & literarum cultoribus restituat pacem. Procul ejiciatur, quicquid rancorem, quicquid simultatem sapit.

A 4

Postea-

*Posteaquam Principes vobis autoribus in concordiam redierunt, absurdum est, eruditos viros libris ac jurgiis inter se confictari, & cum illi tela habeant innoxia, hos se mutuo stilis veneno tinctis configere. Quanto præstiterat, hunc hominem, quod opera, quod sumptus, quod temporis his litium tricis impendit, honestissimis literis impertisse.*

Justæ Erasmi apud Cardinales querelæ, ob Reuchlinum per Monachos, inprimis Dominicanos, ex suscitatis studiis serenioribus, tot annis de foro in forum, Romam denique, Hogostrati unguibus velut equuleo tractum. Justa elogia Reuchlini, viri de universa Europa ex bonis literis apparatus optime meriti. Nec fori fraudes in Romanæ Curiaë tribunali ullum virtuti pretium concessissent, nisi puduisset prudentiores, virtutem pedibus plane conculcasse, æterno judicii dedecore. Quanquam nec forum aliàs pudeat virtutem extinguere cum veritate, cui justum quod placet, quando affectibus licet quod libet, nullo injuriæ sensu, juris fuco, perditæ linguæ labyrintho.

Tandem in foro isto illustri, post multas sessiones, *A. 1516. d. 2. Julii*, candida Reuchlini virtus & infucata veritas, publi-

co

co eloquio, conscientiae in bonis dictamine,  
 summorum iudicum effato, in auditorum  
 & spectatorum ingenti ac venerabili cœ-  
 tu, obtinere palmam cœpit, solenni illius  
 elogio cumulado. Candido hæc Actorum  
 constant testimonio: Postquam multæ sessio-  
 nes super ea causa tentæ fuissent, prima & ite-  
 rum altera in Capella Papæ, deinde alia sessio  
 in templo pacis, quod est Monasterium Cano-  
 nicorum regularium, & alibi alia: tandem  
 decretum fuit, ut unusquisque ad statutum &  
 decretum terminum sententiam suam in scriptis  
 afferret, cum continentia causarum & ratio-  
 num, quæ eum moverent ad sic pronuncian-  
 dum. Visis igitur à quolibet scriptis Johannis  
 Reuchlin, in iudicio receptis, visis & auditis  
 etiam in contrarium à Fratре Jacobo allegatis:  
 Tandem afferentes unusquisque sententiam,  
 cum rationibus & allegationibus roborati con-  
 venerunt in publicam sessionem, Anno Domini  
 MD XVI. secunda Julii, præsentibus viris  
 innumerabilibus. Et tunc primus omnium  
 Archiepiscopus Nazarenus, sacræ theologiæ  
 doctor clarissimus, justificavit & approbavit  
 Oculare Speculum, & condemnavit sentimen-  
 tum Parisiense & aliarum universitatum,  
 adversus illud consulentium. Secundus

A 5

Epi-

*Episcopus Malfetanus, græcus natus, pariter confirmavit; & dicitur etiam, F. Jacobum inquisitorem & accusatorem esse puniendum. Deinde Episcopus Forliviensis pariter voto. Et sic de reliquis per ordinem. Qui omnes & singuli pro Joanne Reuchlin ac ejus innocentia, & intemerato libro suo tulerunt sententiam absolutoriam. Præter Magistrum Palatii de Ordine Prædicatorum, qui noviter factus fuit magister. Nam prædecessor ejus ille ante eum magister palatii, prius sæpe ac publice adstipulatus est innocentie Reuchlinianæ, & Oculare Speculum tunc denuo jusserat Romæ imprimi, tanquam non scandalosum sed magis ædificativum.*

In tanta veritatis luce, in tam sublimi judicio, viris cordatis virtutem tuentibus ac dignitatem ejus palam profitentibus, non defuit tamen fraus fori Hochstrato. Quando enim jam præsenferat Hochstratus, virtuti veritatisque locum iri datum ab æquis judicibus, quando in ipsa publica scriptorum votorum recensione suis acceperat auribus candidissimos pro Reuchlini virtute calculos, ferendam pro Reuchlino suffragiis sententiam definitivam subodoratus, nova fraude forensi usus, à Pontifice

fice *mandatum de supersedendo*, quod callide impetraverat, produxit. Quo pacto iudicium denuo fefellit, veritatem risit, virtutem calce petivit, æquitatem pessundando. Ut sunt nequam artes & imposturæ fori, æquas sententias interrumpendo, differendo, scindendo, ne integra, sed dimidia, sed molesta, sed onerosa promulgetur, quod pro virtute dissimuletur, quod pro veritate *suspendendo* eliminetur, & supprimatur *supersedendo*. Experta sic *hoc quoque mense Julio* Reuchlini integritas, sensitque integrorum iudicium candor, insidias & imposturam, fori decora, fori scientiam, fori inquam virus. Quæ bellula in iudiciis artificia *Jctus Romanus*, Academiæ Romanæ Professor senex, circa annum 1480. in *Commentario in Regulas Cancellariæ Ro. Pontificis*, vel centies cum laude celebravit, his characteribus: *Hic, ille, iste, canon factus est ad exbursandum: Hæc regula facta est ad exbursandum pecuniam.* Lepide.

Sed testis adesto facti ex Actis: *Quando hæc vota tot & tam illustrium ac præclarorum hominum audierat F. Jacobus, Prædicatorum inquisitor, mox, & auxilio fautorum, & præterea more curiæ, mandatum summi Pontifi-*



*Pontificis impetraverat de supersedendo. Timebant enim tunc Jacobitæ omnes, ne reverendissimi domini iudices, apostolici commissarii, tot & tantorum virorum vota imitantes, mox definitivè pronunciarent. Ita discessum est.*

**Censuram** addit Ictus, Actorum interpres: *Major pars Reuchlinistarum putant, quod hoc Inquisitoris factum fuerit aperte contra unum juramenti calumniæ capitulum. Alii dicunt, quod fuerit species notæ Senatus-consulti Turpiliani.*

Neque satis mensi huic Julio factum ab Hochstrato, *sententiæ à Cardinalibus ferendæ suspensione*: Elabendi aliam ex infinita dilatione rimam quæsit calliditas, *ad Concilii disquisitionem rem protrahendo. Cui fini schedam in Reuchlinum ad Curia Romanæ fores inque publicis locis affixerat Hochstratus. De his Acta: Stante sic ultima dominorum Cardinalium sententiæ in suspenso, F. Jacobus se obtulit, articulos, quos ipse ex libro Speculi ocularis cæsim membratimque extraxerat, velle coram Concilio disputare.*

Non permisit tamen iudicii probitas hos novos dolos, serpentis gyros ac fraudulentos anfractus. *Acta: Sed ei respondebatur, quod tota causa esset jam satis disputata.*  
Neque

Neque indulfit curiæ æquitas, schedis Hochstrati pro Concilii desiderio & infinito effugio maculari Curiaë fores & urbis compita: Jussit tolli, diripi, pedibus conculcari & cœno mergi. Acta: Ideoque conclusiones & corollaria ejus, quæ præ foribus Cancellariæ & alibi Romæ affixerat, diripiebantur, & in lutum atque pulverem conculcabantur. Et insuper inhibutum ei fuit à reverendissimis judicibus, ne talia de cetero attentaret.

Hæc hujus mensis Julii ante ducentos annos fata, memorabilia pro veritate & virtute Reuchlini certamina, in supremæ Romanæ Curiaë tribunali gesta, inter artes & insidias, inter fraudes & dolos integritate emergente, Cardinalium æquo præsidio munita. Hic mensis Julius, quo ad apicem Romæ pervenerat causa, Reuchlini virtute undique pellucente, quæ judicum supremorum oculos perstringeret, Hogostrati flammis extinctis.

Firma sic perstitit hoc mense Julio A. 1516. sententia Spirensis, ante annos tres, anno 1514. d. 24. Martii, pro Reuchlini virtute lata. Quartus hic annus, quousque Romæ rem traxerat Hochstratus, cerdo-

cerdones superaturus, ultra obitum Reuchlini protracturus, nequitiae convictum Româ tandem his diebus abire iussit, artium pertæsum. De quo fraudis abitu Acta: *Sic tandem inquisitor prænominatus, à Romana curia, ubi jam in quartum annum ad invadendum processum Spirensis variis modis personaliter laboraverat, vacuis manibus Coloniâ rediit. Et adhuc manet æternumque manebit sententia Spirensis in vigore & honore.*

Obsignavit *Actorum editor* ante hæc duo secula A. 1518. historiam illius fori hac obtestatione: *Judicent præsentēs & posteri.* Cujus moniti observantia justa nos movet, ut duobus jam seculis elapsis eo ipso mense, quo hæc Romæ contigerunt, veritatis & virtutis in *Reuchlino Jubileum* celebraremus posteri. Confidimus, seculo tertio, a. 1816. eodem hoc mense Julio, solidæ virtutis cultores, viros bonos & spectatos, eundem Reuchlino, primo humaniorum literarum mitiorisque doctrinæ apud Germanos instauratori, honorem decreturos, ut surgenti quondam in Reuchlino virtuti applaudant, æternamque veritatis suscitæ memoriâ fervent & propagent.

Reuchli-

Reuchlino debemus studia Fontium sacrorum, lucem primam verbi & doctrinae coelestis, communis in publica re emendationis principium & fundamentum. Pertulit vir erectus duros labores, odia, invidiam, insidias, minas, pericula vitæ & fortunæ, modo juvaret rem publicam, barbarie veteri eliminata, humanitatis studiis surrogatis, omnique decore conciliato. Vicit animo præsentis immensa tædia longorum annorum, ut rem communem liberaret ab ignorantia intolerabili mole & tædiosissima caligine. Ferre non poterant emendationem sordes oris & pectoris in collegiis & scholis maximis. Illas elui indigne ferebant, quibus in cœno illo & pulvere volutari prope naturale continuo usu factum. Sed placuit Deo subvenire gementi & ad puritatem adspiranti publicæ rei, qui Reuchlini primâ usus opera. Deo devoti, à gemino jam seculo, *veneramur divinam gratiam*, qui lucem primùm per Reuchlinum accenderit, animis decus ex virtutis agnitione conciliaverit, omnemque publicam rem beare cœperit. Fruamur nos, fruanturque posterì, per secula ventura. Tertium hodie inchoamus seculum

lum, quarto præeuntes. Agnoscet ætas  
secutura nostrum studium partis fruendi,  
æmulabitur contentione majori, nos su-  
peratura.

S. in Acad. Julia

Anno seculari MDCCXVI.

mense seculari *Julio*,

die seculari *octavo*,

postridie fraudis cognitæ

*de supersedendo.*

IV. Sym.

## IV. Symbola studiorum Reuchlini per quatuor secula,

in honorem majorum & posterorum memoriam.

### Symbolum I. seculi XVI.

**Q**UAM recentia sint solida *veritatis di-*  
*vinae studia, adhibitis hebraicis &*  
*gracis Veteris & Novi Testamenti codici-*  
*bus, fontibus vivis & genuinis, subindica-*  
*tum superiori anno in Syria Græca: ubi*  
*ordine longo per secula XIII. XIV. XV.*  
*& XVI. ortus & progressus horum studio-*  
*rum designatus, à Raimundo de Penna forti,*  
*Hispano, ad Johannem Reuchlinum Germa-*  
*num. Effloruerunt seculi XVI. exordio*  
*admirabili incremento, linguæ, hebrææ &*  
*græcæ, Reuchlini ope prima. Et usus*  
*illarum statim abunde patefactus, suscitatis*  
*facris hebræis & Gracis codicibus.*

Impertivit divina providentia velut no-  
vo orbe, illa ætate, *seculo XVI.* viros  
peritos, solertes, ingenio & iudicio præ-  
ditos, qui *utrosque Fontes, hebræos & græ-*  
*cos, contemplarentur curate, & recensere*  
*contenderent perspicue. Experta qui-*  
*dem prima isthæc atas, à primo solide philo-*  
*logiæ*

B

logiæ

*logie ortu*, in imis statim Exegeſeos gradibus *hostes* diros & truces, qui nova illa ſacra ſtudia conviciis quovis modo onerarent, extincturi in cineribus: Nec deſiit tamen ſeſe *armare*, cum hoſte congregi, & pro veritate fortiter *dimicare*. Ex *Fontibus redditis*, ex *Reuchlini* diſciplinâ, mox prognati *interpretes præclariffimi*, ſpectabili numero, primi ſtatim illius ævi *lumina* & *decora*, illa vi animi & mentis, ut videretur ſimul & oriri ſol & in meridiem ad ſaſtigiũ aſſurgere. Quo pacto ab anno fere 1506. uſque ad annum 1550. *vigor Exegeſeos ſolide* tantum non in ſummo gradu, pro ævi conditione & captu. *Decantata doctrinæ* & *morum publica emendatio*, *Reformationis* nomine, illis linguarum *Fontibus nata* & *aucta*. Nullus per Scholæ imperitiã & invidiam caliginem *certaminum* modus, nullus *inſidiarum* terminus, nec *ſanguini* parſum, donec in *aperta* res exiret *bella*: Quando incidit *Reuchlinus* in primis ſtudiorum *incunabulis*, *primus Fontium inſtaurator*, in atrociam tempora, quibus, cum Fontes aperiret, orbi daret, omnibus propinaret, *decertandum* fuit pro aris & focis, cum *omnis generis adverſariis*, *larvis*, *ſpectris*, *demonibus*.





31 319 65



*bus. Philologia Reuchlini effigie Minervæ, armata. Codices sacros, artesque liberales, monumenta veterum, codices genuinos, veritatis documenta prima, hunc & in pulvere jacere, boni viderunt, doluerunt, situm & squalorem deterferunt, integritati reddiderunt, usuique publico exhibuerunt. Omnia inter literaria arma, barbariei & invidiæ obversa. Scholasticorum sphinges, quæ frontem & sonum referrent hominis, manus & pectus haberent ferarum, solverunt & diremerunt, ista subtilitate detecta & explorata. Dextrâ ferrum gestarunt acutum, Erasmus & Reuchlinus, linguarum aciem, cum probi iudicii acumine: Sinistrâ clypeum contra Medusam, sinceræ validæque antiquitatis studium contra horridam superstitionem. Arma & instrumenta bellica barbarorum Monachorum, obscurorumve virorum machinas, veritati oppositas, fraudes & insidias Pepericorni & turmarum, de trophæo suspenderunt. Vim quoque & flammam, faces & globos, tormenta ignivoma, vexilla, ferales processus Hochstrati & sociorum, prostraverunt & extinxerunt. Pyxidem Pandoræ, Coloniensis Academiae & confinium Collegiorum furentium*

B 2

ter-

*terribilia contumeliarum monstra demonesque  
grassantes, temserunt & fugarunt. Hoc  
ævum Erasmi & Reuchlini, ab exordio ad  
medium seculi. Donec Martis arma per  
Germaniam in Saxoniam ferrentur, quæ  
quietem ferme præ metu imperarunt serenis  
istis studiis, quæ tantopere floruerant. Quo-  
modo inter filios & nepotes silentio visa  
sepulta vis mentis erecta, Fontibus negle-  
ctim habitis, frigescente studio, ardore  
subsidente. Atque hæc illa Philologia  
armata Reuchlini, seculo XVI.*

*Arma dedit Moses, deserto fulgura misit:  
Et docuit pugnans, tartara mota nece.*

---

## Symbolum II. seculi XVII.

**S**Uccessit altera gens, ævum secundum,  
*Buxtorfii, seculo XVII. Sopita multis  
jam annisavorum sedulitas, Fontes colendi  
araplus atque enixius, refocillata per  
Buxtorfium, seculo jam revoluto. Anno  
1506. prima sua rudimenta hebraica dederat  
Reuchlinus: A. 1607. novum ornatius, inte-  
grius atque plenius suggestit hebrææ &  
chaldææ linguæ Lexicon Buxtorfius, West-  
phalus.*





*phalus*. Recensitis in præfatione philologis ævi primi, à Reuchlino orsus, *Adeo*, inquit, potens isto seculo fuit Dei erga Ecclesiam suam gratia, ad tam densas mille annorum tenebras discutiendas & prostigandas. Itum hoc seculo altero proximius ad doctorum Judaicorum scripta, ad dispiciendum, tum quæ tota præsens illorum sit doctrina, tum, quæ veteris apud illos Judaicæ Ecclesiæ reliquæ; Inprimis, qui ritus veteris & recentis Judaicæ gentis, quibus jam olim & nunc comprehensa illorum res. Quæsita hæc hac ætate in abstrusis & numerosis *Rabbinorum monumentis*, ut liqueret, quam prope videantur adhuc accedere ad Mosen, aut quam longe ab eo cum seculis declinaverint. Quæ omnia visa tanto curatius investiganda, quanto major lux exinde sperata, pro Veteris & Novi Testamenti scriptis intelligendis. Par ratio *Scriptorum Græcorum*, pervestigatorum hæc ævo. Hæc celebris, onerosa & difficilis hujus seculi opera, *antiquitates hebræorum & græcorum indagandi*. Atque hæc illa *Philologia seculi II. effigie Dianæ venatricis*. Siquidem *Buxtorfius senior*, cum filiis & nepotibus, Basileæ, *Schneusius*, *Heinsius*,



cum splendido celebrium per omnes terras  
 Philologorum agmine, Germanorum, Gal-  
 lorum, Batavorum, Anglorum, spectabili  
 comitatu, humanitatis Professores cultissi-  
 mi, Judaicorum & Græcorum statutorum  
 penetrabilia, ad Talmudis & Poetarum visce-  
 ra, intima *sylvarum lustra*, per opacos &  
 densos saltus, omnis ordinis feras insecuti  
 & perterutati, labore inexhausto & solertia  
 indefatigabili. Quomodo *sylvæ scripto-  
 rum Rabbincorum*, veterum & recentium,  
 ut & *Græcorum*, *distinctæ* per suas valles &  
 colles, *Bibliothecis Rabbincis & Græcis*,  
 conditis, auctis, & magnis voluminibus  
 definitis. *Vitæ & res gestæ priscorum &  
 novorum inter Judæos & Græcos* autorum  
 recensitæ cum cura, ut indagari rectius  
 illorum posset sententia & doctrina: Quæ  
*pharetra telis referta in humeris philologiæ.*  
 Præter Lexica, Critica, diversorum auto-  
 rum, Concordantiæ, Introductiones, col-  
 lectiones, *arcus manu sinistra.* *Sagax in-  
 dago*, hypotheses veterum & recentium  
 Rabbincorum & Græcorum, argutias sym-  
 bola, mythos, traditiones, penetrandi,  
 distinguendi, *hastæ est venatoria*, quæ à ter-  
 go jacet, pro capiendis & transverberandis  
 feris.

feris. Qua vigilantia & pertinaci studio curate & eleganter *versi integri doctorum Judaicorum & græcorum præstantiores codices*, ex Commentariis, Chronologis, Historicis, Talmudicis, Cabbalisticis & Ritualibus, Poetis etiam & oratoribus. Quæ præda ferarum, quadrupedum & alatarum, perdicum, anatum, rusticolarum sylvaticarum, ut & leporum. Palatia denique Salomonis & Herodis, Atheniensium & Corinthiorum, inspexit attentio, Synagoga veteri & nova ut & curia græca patefacta. Hæc Philologia sagax ævo Buxtorfii, seculo XVII.

*Ritus quæsti veteres, per inhospita tesqua,  
Antiquæ gentis rudera, prisca domus.*

---

### Symbolum III. seculi XVIII.

**A** Dest jam ævum tertium, seculo XVIII. quo sensus proprius & innatus veterum autorum, Fontium sacrorum utriusque fœderis, græcorum etiam & mythologorum, eruitur & promitur. Præsens ætas superiori apparatu nunc utitur, quod superest addit, ad autores ipsos accedit propius,



pius, cum illis agit familiarius, mentem  
 illorum genuinam, alioquin reconditam,  
 explorat & investigat sollicitius. Nunc  
*Exegeteos* res agitur, ad curatam recensio-  
 nem obscurorum remota ætatis autorum,  
 hebræorum & græcorum: Cum scopus sit  
 omnium studiorum, autores legere ac in-  
 telligere, sed & ubi opus digne & luculenter  
 recensere. Quomodo serena frontis Philo-  
 logia, interpretandi scientia, virenti arbori  
 innixa, spem annis faciens fructuum & fru-  
 gum, assidet læta, suam monstrans operam  
 & redituum instrumenta, *Cereris* symbolo.  
*Sinistra tenet ligonem, pro terra vertenda:*  
*Linguarum orientalium & occidentalium fun-*  
*dum & solum vertit, ut naturam & origi-*  
*nem patefaciat, pro intima significandi vir-*  
*tute.* Græciæ agros fodit curate, ut sine su-  
 perstitione, antiquitatis thesauris promptis,  
 humus fertilitate sua gaudere deprehen-  
 datur. Sed & *rastrum, majus & minus, in*  
*promptu, pro terra complananda, quando*  
*Geographia antiqua, orientis & occidentis,*  
*quæritur, ut diducatur exacte; pro scriptis*  
*sacris rectius cognoscendis, & Græcorum*  
*poetis ac mythologis intelligendis: Quod*  
*citra geographiam lectio quorumcunque auto-*  
rum



SICUT XVIII



*rum veterum vaga sit & inanis. Sed & Siphon, ad irrigandum terram consitam, nobilesque plantas hortorum vegetandum, in oculis: Historiam prisca ubique accitam, pro Orientis & Occidentis fatibus, ad sensum & scopum veterum autorum recte perspiciendum. Sic spes segetis in agro, qua gaudeat & superbiat fundus probe cultus: Quæ est mens & sententia autorum, sacrorum & exterorum, hebræorum & græcorum, solutorum & ligatorum. Qui demum est fructus longi studii. Juvat dein & falx, viva atque curata recensio ac interpretatio scriptorum, qua velut fruges demetuntur ad usum. Unde gaudium in manu dextra, spicæ & aristæ: Abundans ex vero autorum sensu doctrina, pro veteri orbe cognoscendo & nostro imbuendo. Locuples hic & desideratus fructus. Hæc ævo præsentis, seculo XVIII. philologia laboriosa.*

*Mens, animus, genius, pectus, frons ardua  
divum*

*Nostris: Quo tendunt organa multa, labor.*

## Symbolum IV. seculi XIX.

**U**T precamur seculo nostro in his studiis  
 quietem & pacem sine bellorum stre-  
 pitu, ne manus lassescant, ligones & rastra  
 excidant, sed labor continuetur & per-  
 ficiatur: Ita ex *bono animo Philologorum,*  
*qui nascentur,* qui partis opibus utentur,  
 qui fructum colligere pergent, *auguramur*  
*seculo secuturo XIX. dulcem terræ cultæ*  
*fructum, quo fruantur.* Repetat animo  
 sereno Philologia tempora præterita, secula  
 quæ fluxerunt, antecessorum tot seculis  
 industriam & constantiam, contentiones  
 & labores, ut posteris pararent usum, re-  
 linquerentque opes hæreditarias. Per-  
 sentiat ex autorum pervetustorum genuina  
 sententia *dulcedinem, quæ pectus repleat,*  
 Melissæ fortuna. Quando igitur non so-  
 lum optimi autores græci, sed & inprimis  
 sacri, ad *tranquillitatem mentis* tendunt,  
 quam ingenerent attentis, illam à posteris  
 & humanioribus hisce literis iri perceptum  
 confidimus. Cui fiduciæ *ramum oleæ præ-*  
*tendit sinistra.* Accedet medulla studiorum  
 horundem, *innocentia morum,* quam sacri  
 & exteri autores commendant: *Quæ co-*  
*rolla,*



seculo XIX



2134

rolla, qua dextra ornat agnellum. In quo animi & mentis decore vis elegantissima caritas est, puerulus suavi motu submonstrans frondes, ablandiundo. Neque deerunt hac indole mutua humanitatis officia, ut apes colligunt in alvearia, & mel congerunt, dulcedinem vitæ tranquillæ, ad quam univèrsa collimat philologia. Quæ spes Philologiæ dulcescentis ævo sequenti, seculo XIX.

*Dulcescent tandem, lac, mel, queis visus  
amaror:*

*Fontes præbebunt gaudia! Quanta bona!*

---

Symbola Viridarii, pro usu & decore studiorum Reuchlini in seram posteritatem.

*Num. 24, 5. seqq.*

: מַה טוֹב אֶתְּלִיךָ יַעֲקֹב מִשְׁכְּנֹתֶיךָ יִשְׂרָאֵל v. 5.

ὡς μὲν εὐτυχῆσαι αὐλεῖα σε, Ἰακώβ; σκηνώματα σε, Ἰσραήλ; *Quam fortunata tentoria tua, Jacob! tabernacula tua, Israël!*

v. 6.



v. 6. כְּנַחֲלִים נִטְוּ כַּנְּזֹת עָלָיו נָחַר כְּאֶהֱלִים

בְּמַעַי יִהְיֶה כְּאַרְזִים עָלָיו מִיָּם :

ὡς ἐλαίαγνοι, αἱ πταίνονται, ὡς πεῦκαι (Ezechieli 17, πέυκη,) πλησίον ὀροδάμων, ὡς ἐλάται, αἳ ἐφύττευσεν Ἰπέρχων, ὡς κέδροι πλησίον ναμάτων. *Ut oleagni, quæ sunt procera, ut piceæ juxta fluvium, ut abietes quas plantavit Deus, ut cedri juxta aquam.*

v. 7. יֵרֹם וּמִנְגַן מַלְכוֹ וְתַנְשֵׂא מַלְכוּתוֹ :

יֵרֹם וּמִנְגַן מַלְכוֹ וְתַנְשֵׂא מַלְכוּתוֹ :

Σταλάσεινάματα ἀπὸ θαλλῶν αὐτῆ, καὶ σπέρμα αὐτῆ πρὸς ναμάτων περιωτῶν. Μετεωριθήσεται μάλλον ἢ Αμαλεικίτης γνωμολόγος αὐτῆ, καὶ ἀνασπρήσεται γνωμολογία αὐτῆ. *Stillabit aquas ex ramis suis, & semen ejus juxta aquas multas. Extolletur, plus quam Amalekita, rex ejus, & assurget regnum ejus.*

v. 8. לֵא מוֹצִיאוֹ מִמִּצְרַיִם כְּתוּעַפַת רֵאִם לֵא

לְאֶכְל גֹּזִים צְרִי וְעַצְמוֹתֵיהֶם יִנְרֵם וְחֲצִי וּמַחֲוֹ :

Ἀλεκτῆς ἐξήγαγεν αὐτὸν ἀπ' Αἰγύπτου· ὡσεὶ αἰπτα χιμάρα αὐτῶ· ἀναλώσει ὄχλους, ἐπηρεαστὸς αὐτῆ, καὶ σώματα αὐτῶν κοσματίσει, καὶ τόξοις αὐτῆ τεμαχίσει. *Liberator duxit illum ex Ægypto. Ut cornua capri sunt illi. Consumet*

sumet populos, hostes suos, corpora illorum  
findet, & sagittis suis confodiet.

v. 9. כָּרַע שָׁכֵב כְּאִרִי וּכְלָבִיא מִי וְקִימָנוּ

מִבְּדָכֶיךָ בָרוּךְ וְאוֹרְרֶיךָ אֲרוּר׃

κυρτᾶται, σκῆπτει, ὡς χάραξ, καὶ ὡς λέων,  
τίς μὲν ἀνακομίσει ἐκεῖνον; Διαγορευόντων σὲ ἕκαστος  
ἀναγορευθεὶς, καὶ καταρωμένων σε κατατηραμένους.  
*Curvat se, decumbit, ut rarus, & ut leo,  
quis excitabit eum? Benedictantium tibi quis-  
que benedictus, & maledicentium tibi quilibet  
maledictus.*

*Esa. 41, 17. seqq.*

v. 17. הָעֵינִים וְהָאָזְנוֹת מִבְּקָשִׁים מִיָּם וְאֵין

לְשׁוֹנָם בְּצַמָּה נִשְׁתַּח אֲנִי יְהוָה אֲנֵם אֱלֹהֵי  
יִשְׂרָאֵל לֹא אֲנֻכֶם׃

Οἱ ἐνδεεῖς καὶ οἱ πένητες ἐπαξιῶσι νάματα, καὶ  
μηδέν· Γλώσσα αὐτῶν ἀπ' ἐκμυζήσεως κατεξή-  
ρανθη. *Indigi & inopes petunt aquam; sed  
nihil. Lingua ipsorum siti exaruit.* Ἐγὼ γὰρ  
Ἰσραὴλ ἀπαντήσω αὐτοῖς· Ὁ τῶν Μεγαλείων  
τῆ Ἰσραὴλ εὐδόλως ἀποτάξω αὐτούς. *Ego Deus  
præsto ero illis. Ter Maximus Israël, non  
deseram eos.*

v. 18.

v. 18. אֶפְתַּח עַל שְׁפִימַי נְהַרֹת וּבְתוֹךְ כְּקַעוֹת  
 מְעִינֹת אֲשֶׁם מְדַבֵּר לְאָנִים מִים וְאֶרֶץ צִיָּה  
 לְמוֹצְאֵי מִים:

Αναπτύξω ὑπὲρ ὑψέων ὄρηδά μιν, καὶ μεταξὺ  
 Φαράγγων κρηνας· Θηματίσω τὸ τραφερόν εἰς σίγα-  
 ρον ναμάτων, καὶ ξηρὸν διψάδα εἰς ἐξόδου ναμά-  
 των. *Aperiam super montibus fluvios, &  
 inter valles fontes. Redigam aridum in  
 stagnum, & terram siticulosam in eruptiones  
 aquarum.*

v. 19. אֶתֵּן בְּמִדְבָּר אֶרֶץ שֹׁשֶׁה וְהָרִם וְעַץ שָׁמֶן  
 אֲשֶׁם בְּעֶרְבָה בְּרוֹשׁ תְּהָר וְתַאֲשׁוּר וַיְחַרוּ:

Αναθήσω ἐπὶ τῷ τραφερῷ κέδρον, κύτισον,  
 (ὄξυάκαιθα) καὶ σίδην, καὶ ξύλον μυρσίης·  
 Θηματίσω ἐπὶ ῥωπήϊω κυπάρισσον, τερέβινθον, καὶ  
 ἀρκευθὸν ἱμαδόν. *Collocabo in arido deserto  
 cedrum, cytisum, sidam, & arborem myrti.  
 Ponam in virgulto cupressum, terebintbum,  
 juniperum, simul.*

v. 20. לְמַעַן יֵרְאוּ וַיִּדְעוּ וַיִּשְׂמְחוּ וַיִּשְׂכַּלְדוּ  
 וַיְחַרוּ כִּי יֵר יְהוָה עֲשֶׂתָהּ זֹאת וּקְרַשׁ יִשְׂרָאֵל  
 בְּרֵאָה:

Ἀλλὰ μὴ ἕνεκα ὄρωσι καὶ ἰδῶσι, συμβιάσωσι  
 καὶ συλλογίσωνται ἱμαδόν, ὅτι θειὰ τῆ Ἰσραήλ  
 τοῦ εἰργάσατο τοσούτο, καὶ ἀγασθὸς τῆ Ἰσραήλ  
 προσέφε-

περὸς Φερὲν αὐτό. *Ut videant & cognoscant, perpendant & intelligant simul, quod manus Dei fecerit hoc, & sanctus Israël's produxerit illud.*

*Ef. 60, 13.*

כְּבוֹד הַלְבָנֹן אֲלֶיךָ יִבָּא בְרוֹשׁ תְּהָרָה  
וְתִשְׂאוֹר יַחַד לְפָנַי מִקְדָּשִׁי וּמִקְדָּשִׁי  
רִגְלֵי אֲכַבֵּד:

*Eudoxia τῆ Λιβάνου πρὸς σὲ ἐπιβήσεται, Κυπαρίσιος, τερέβινθος, καὶ ἀρκευθὸς ὀμαδὸν, πρὸς τὸ Φιαρύνειν χώρημα τῆ ἀγιασθεῖς μου, ὅτε χώρημα ἀσφαγάλων μου ἐπιδοξάσω. Gloria Libani ad te veniet, cupressus, terebinthus, juniperus, simul, ad ornandum locum sanctuarii mei, quando locum pedum meorum honorabo.*

*Hof. 14, 6. seqq.*

V. 6. Ἔσομαι ὡς σαλαγμὸς τῷ Ἰσραήλ· χλωεῖσι ὡς σῆσον· Παρεκτενεῖ εἴζας αὐτῆ ὡς Λίβανος (δενδρολίβανος, arbor thurifera.)

V. 7. Κελευθίσασαι κλωνάρια αὐτῆ· καὶ ἔσαι ὡς κοτίνης κῦδος αὐτῆ· καὶ ὄσφραγία αὐτῆ, ὡς Λιβανωτῆ (ut thuris.)

V. 8. Ἐπισρέψασαι, ἐπικαθεζόμενοι ὑπ' ἐπιλυγισμόν αὐτῆ· ἀνακομιθήσονται ὡς τρυγῆ· χλωεῖσασαι

είσασσι ὡς κύβος· γνώρισμα αὐτῶ ὡς οἶνος Λιβανικῆ, (ut vini thurei.)

V. 9. ΕΦραΐμ, τί μὲν μοὶ ἐπι πρὸς ἀπεικάσματα; Εβρώνη ἀπαντήσω (præsto ero) καὶ ἰσρηήσω ἐκεῖνον· Εβρώνη ὡς κυπαρίσσιος ἐξεωμενίσματος· ὁπὸ μὲν ἐμὲ καρπὸς σε κομιθήσεται.

V. 10. Τίς μὲν γνώμων, ἵνα ἐπινοήσῃ τηλικαῦτα; πεπνύμενος, ἵνα ἴδῃ αὐτά; γὰρ μὴν ὄρθαι προχιαὶ τῶ Ἰπάρχοντος, καὶ δίκαιοι κελευθίσασσι ἐπ' αὐταῖς, καὶ ἀποσιτῶντες (prævaricantes) ὀκλάσασον ἐπ' αὐταῖς.

